

Magnobodi merita, qui de tanto discrimine eos eripuerat. Hæc ad aures vulgi divulgata, exorescere cœpit major veneratio erga sepulorum sancti antistitis, ita ut de longinquis et exteris regionibus variis obsessos languoribus adducerent, et inibi exubantes ab omni infirmitatis incommodo eruebantur. Ubique memoria ejus celebrabatur, ubique merita ejus abque interpolatione recitabantur, audientes et videntes ineffabilia miracula, quæ diu a glorioso præseculo agebantur. Ergo animo devoto et prece supplicis exoremus clementiam pietatis ejus, ut sicut in hac vita præsentis superstes, votis deprecantium favere studuit, ita quoque intercessor existere non dedignetur propitiis quæ quotidie super nos accumulatur, quatenus ab omnibus sordium oriminibus emundati, valeamus ab interitu gehennæ liberari, et in æterna lætitia doxa frui cum sanctis, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et potestas cum Patre et Spiritu sancto. Per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

Christus itaque Dominus Jesus, qui glorificat glorificantes se, mortuum puerulum 1489 ad laudem et gloriam nominis sui per hunc pretiosissimum antistitem suum Magnobodum ab inferis revocare dignatus est. Quadam namque die, dum ad suprascriptam basilicam cum maximo cleri plebisque tripudio missam celebraturus occurreret, mulier quædam, ut benedictionibus sancti pontificis particeps efficeretur, cum filio uteri sui advenit: quæ cum intra septa ecclesie se recepisset, et parvulus ejus ab ea recessisset, ecclesie valvas petiit et in plateam quæ ejusdem ecclesie est vicina ludos agere cœpit. Et subito ex Valleia agmen equarum

A adveniens, atque ad insulam quæ vulgariter Mons nuncupatur tendens, per eundem plateam velociter cursu pertransibat. Cumque prædictus puer ad dexteram sive ad sinistram declinare non valeret insidiantem, ut credo, humani generis inimico, ab eodem agmine in frustra discerpius exspiravit. Etenim cum a sancto pontifice missarum solemnitas fuisset expleta, mulier filii sui immemor ad propria revertebatur. Itaque cum per plateam transitum fecisset, reperit filium suum in frustra discerptum, et cum magno animi dolore a terra eum 1490 levavit, statimque miseram se clamans, ac magnis vocibus aerem replens, nullo modo se poterat a lacrymis continere. Sed ubi ad memoriam rediit quæ diu a sancto gerebantur præseculo Magnobodo, concito gradu ad basilicam usque pervenit; nondum enim sanctus antistes a basilica discesserat. Ergo prædicta mulier suffocati filii sui corpus in conspectu sancti exposuit, dicens: « Vir sancte, restitue hunc mihi filium, qui pater populi agnosceris. » Hæc atque multa hissimilia eadem dicente, devictus mulieris precibus vir Dei ad arma consueta recurrens, populo spectante prosternitur in terra. Quid multis moror? Tandem sacerdos jacuit in pulvere, donec pariter surgeret pontifex de oratione, et puer de morte. Hinc circumstantes populus non minimo stupore concutitur, inusitatum cernens miraculum, fragorque in partes attollitur: laudes in excelso Creatori referuntur, completurque veridica veritatis vox promittentis ac dicentis: « Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet (Joun. xiv, 12). » Mater vero cum filio ad propria, unde advenerat, lætibus regressa.

VITA SANCTI MAGNOBODI

ANDEGAVENSIS EPISCOPI

AUCTORE MARBODO REDONENSI EPISCOPO

Hanc sancti Magnobodi Vitam commodavit nobis noster R. P. Mabillonius, qui eam ex veteri manuscripto ecclesie collegiate S. Magnobodi Andegavensis descriptam in scriniis habebat.

INCIPIIT PROLOGUS.

Qui virorum fortium gesta litteris mandaverunt, gentiles loquor, triplicem maxime mihi secuti videntur rationem, ut vel a presentibus aliquam laboris sui mercedem reciperent, vel apud posteros ingenii ac studii sui perpetuarent memoriam, vel certe probabiliori intentione legentibus sive audientibus formam proponerent imitationis. Nos vero, id est Christiani, qui terrena querere prohibemur et non famam perpetuam, sed vitam sectari jubemur æternam, ultimam tantum superiorum trium causarum tenentes, reliquas duas utiliori compensatione mutamus; nam pro labore præsentis mercedem expectamus futuram, et de studio nostro non humanum favorem, sed Dei laudem captamus, a quo scilicet et facientibus opera, et scribentibus verba ministrantur. Igitur sancti episcopi Magnobodi Vitam scripturus ego Marbodius minimus episcoporum, hoc primum ab auditoribus peto ne inculti forte sermonis obscuritas verum apud eos præjudicet claritati, sed

C pro suis singula meritis æstimantes sic 1491-92 diutorum reprehendant tenuitatem, ut gestorum non abficient dignitatem; neque enim quidquid compositum dicitur, statim recipiendum est, nec rursus quod inornate, velut inutile respondendum; quin potius aureo vase quandoque propinatur venenum, et contra salubres escæ ministrantur scilicet. « Nam et Apostolus non in sapientia verbi, sed in simplicitate sermonis prædicans regnum Dei, thesaurum letum in vasis se dicit habere scilicet (II Cor. iv, 7). » Sic ego in uno sancto divitias bonitatis Dei simplici stylo tanquam vase scilicet tentabo proponere, ut quasi nullis extrinsecus habetata fulgoribus, per se considerata purius sanctitas enitescat. Vera enim virtus sola sui ostensione contenta, artificiosa verborum commendatione non indiget; sed ea potius quæ naturali gratia carent, illustrari copiant petitis extrinsecus ornamentis. Sed de his hactenus. Nunc ad narrationis initium veniamus.

INCIPIIT VITA

SACCTI ET GLORIOSI CONFESSORIS MAGNOBODI ANDEGAVENSIS EPISCOPI.

Igitur Magnobodus Andegavensi territorio oriundus fuit, regnante apud Francos Lothario Chilperici filio, parentibus Christianis, quos inter concives, spectabile genus et honorum dignitas sublimabat. Quem a prima statim infantia divina gratia sic amplexa confovit, ut jam tunc dubitari non posset ultra communem nascentium sortem, egregium in eo aliquid præclarumque portendi. Cum ergo ad pueritiam pervenisset, qua primum ætate, mos est nobilium liberos in disciplinam dari, traditus est litterarum magistro: quippe quem divinis mancipandum obsequiis, certis quibusdam excitata signis, fides parentum decreverat, et Ecclesiæ Christi præficiendum cœlestis ordo providentiæ disponebat. Itaque puer acris ingenii ac memoriæ singularis, divino comitatus favore, brevi cœvorum supergressus est mensuram, jamque provectoribus cœperat facile cœquari; nec multo post etiam magistrorum æmulatus scientiam, ad doctrinæ culmen incunctanter evasit: nec mirum si eum festinatis sapientia provexit augmentis, qui ab ipsis novellæ ætatis auspiciis, sanctitatis amore concepto, nullas mundanæ vanitatis admisit illecebras; quin potius rudis adhuc pectoris puritatem dulcibus virtutum benedictionibus studuit prævenire. Inde factum est ut merito sanctitatis, intellectus etiam privilegium obtineret, sicut dicit Psalmista: « Super senes intellexi, quia mandata tua quæsi (Psal. cxviii, 100). » Adolescens factus, amplioribus cœpit virtutum studiis exerceri, nec proclivem in deteriora ætatem deformi luxu, aut inerti otio passus corrumpi, arctis semetipsum subdidit legibus abstinentiæ, ut scilicet nil ventri, nil indulgeret somno, nisi quantum naturæ necessitas postularet. Orationi jugiter aut lectioni vacabat, ut nullum temporis intervallum absque spirituali profectu sinneret deperire. Hæc cum ad beati Licinii episcopi notitiam pervenissent, cujus mirabilis sanctitas inter Gallicanos episcopos tunc temporis habebatur, congratulatus divinorum munerum largitati, vocatum ad se juvenem more ecclesiastico tonsoravit, ac clericalibus officiis deputatum, in castris Christi probatæ jam virtutis thronem militare præcepit. Procedente mox tempore, per gradus ecclesiasticos ad sacerdotium usque provexit, dignum sane judicans, cui sollicitudinis suæ curam deberet partiri, cujusque posset consilio emergentium difficultatum ambiguitatibus explicari; neque enim illi deerat vel prudentia qua rerum exitus metiret, vel constantia qua bene provisâ intrepidus exsequeretur. Castitate præclarus, humilitate excelsus, charitate diffusus, morum doctrinam etiam lingua tacens poterat, vita

loquena, minoribus exhibere. Sed neque suavitate carebat eloquentiæ, nec copia dicendorum, quibus audientium corda ab amore hujus sæculi ad desideranda magis cœlestia commutaret. His ergo de causis, sanctus episcopus Colonense cœnobium regendum illi commisit, ut et grex fratrum rectoris sui provocatus exemplo, doctrina instructus, exhortatione accensus, ad meliora proficeret, et ipse in minoribus quasi præludens, ad majora postmodum disponenda ipso usu exercitior redderetur et aptior. In qua dispensatione tam fidelem se præbuit et prudentem, ut familiæ Domini, super quam constitutus erat, sufficienter corporis et animæ necessaria ministraret, et de sanctis profectibus non suam laudem, sed ipsius Domini gloriam præ se ferret. **1493** Nec dubium jam apud aliquem residebat ad magna qualibet exsequenda idoneum fore, qui ad singula quæ gerebat, felici industria regebatur. Itaque, jubente pontifice suo, ad Romanum papam legationem suscepit, pro causa scilicet quam breviter exponemus. Idem namque beatus præsul Licinius in suburbio civitatis suæ construxerat a fundamentis ecclesiam sumptuosi operis ac præclari, quæ ex ipsius nomine nunc vocatur, in qua Deo servituum constituere decreverat collegium monachorum. Quam in honorem sancti Joannis Baptistæ cupiens dedicare, ejusdem sancti reliquias a præsule sedis apostolicæ flagitabat. Hæc igitur de causa Romam directus Magnobodus apud papam facile quod petit impetravit: quem scilicet legati sanctitas atque industria quibus pollebat, satim latere non potuit. Nam et ejus modestia delectatus ac moribus, secum aliquandiu commorari eum præcepit; tandemque apostolica benedictione cumulatam et votis, cum acceptis sancti Joannis Baptistæ pignoribus gaudentem remisit ad propria. Sed dum apud papam maneret, quid ei contigerit non prorsus præmittendum existimo, quoniam et malignitatis reprehensionem, et imitandæ diligentiae continere videtur exemplum. Dum inter officia nocturnorum, quibus eum papa familiariter admittebat, ipsius jussu lectionem, ut mos est, in pulpito recitaret, quidam ex clericis palatinis invidia ducti, sicut se habet humana perversitas, quod scilicet alienigena quidam domesticorum partes apud dominum obtineret, et eorum quasi præriperet famulatum lumen candelæ quo utebatur exstinguere curaverunt ut, frustrata intentione, confusus et velut demutatus abscederet. At ille nihil commotus, eodem tenore quo cœperat, memoriter paginam consummavit. Sicque factum est ut quod illi ad dedecus erat dispositum,

in gloriam potius verteretur. Acceptis itaque sanctus Licinius, quas Magnobodus deferebat, reliquit, primum Deo honorum omnium largitori, deinde etiam discipulo non modicas referens grates, Dedicatio ecclesie novae cum eodem discipulo gaudia sicut optaverat celebravit, collocatis ibidem quo digna erant honore sacrosanctis praecursoris Christi pignoribus. Domi ergo forisque probatus et cognitus, sicut diximus, Magnobodus, non solum magistro suo charissimus, sed etiam bonis omnibus et honestis venerabilis, et laude dignissimus habebatur; ab inhonestis vere laudari nec poterat, nec debebat: tantum est enim laudari a turpibus, quantum si lauderis ob turpia.

Post decessum itaque 1494 beati Licinii, qui statim levaretur episcopus, nihil aliud intercessisse credendum est nisi quod ipse honorem declinans, tutiusque sibi iudicans contemplationis otio inhaerere, quam negotiis regiminis implicari, ut alius substitueretur obtinuit. Verum et illo postmodum Dei dispensatione defuncto, jam satis clarum erat istum divino iudicio postulari. Communibus igitur omnium votis, cum assensu Dagoberti regis, ad quem jam successio regni descenderat, electus est: et secundum Dei dispositum Ecclesie Andegavensi praesidere compulsus, duo tamen presbyteri inter ceteros honore sublimes, Ambrulfus scilicet et Leobaldus, ambitionis et invidiae stimulis agitati, refragari ausi sunt ut divino examini in comprobando electionis iudicio materia non deesset; ambo siquidem dextro confestim privati oculo, sinistro sensu restituisse manifesta animadversione convicti sunt. Qualem vero in episcopatu se gesserit nulli dubium esse potest, quandoquidem et ante nomen, rem nominis jam tenebat. Sed nunc maxime ad ipsum insistens, amplioribus sese virtutum cumulavit augmentis: siquidem majus onus majoribus erat virtutibus suscollendum, et amplior honor propensorem diligentiam merebatur. Neque enim poterat ignorare vir doctus propriam pastoribus non sufficere sanctitatem, nisi et subditorum peccata curaverit; solosque eos conditionis haberi miserimae, quibus omnium imputentur errata, sicut e diverso felicissimos merito iudicari, qui de cunctorum meritis munerentur. Nullum ergo tempus, nullum desiderii locum indulgens, super gregem Domini sollicito vigilabat, ne qua forte commissarum sibi ovium negligentius errans, insidiantis lupi morsibus vastaretur. Ministrabat omnibus in tempore pabula verbi Dei, prout singulorum capacitati congruere videbat; et ad similitudinem boni ducis, cui non sufficit verbo tantum milites cohortari, nisi et manu fortiter egerit quidquid verbis insinuabat agendum, qualiter ageretur, moribus ostendebat et vita. Secundum apostolicum praecipuum: « Corripiebat inquietos, consolabatur pusillanimes, suscipiebat infirmos, patiensque erat ad omnes (I Thess. v, 14), » ut nullius deesset salutem, cum se singulorum necessitatibus coaptaret. Et sicut alius dicit apostolus: « Non

A quasi dominans in clerico erat, sed forma factus gregi ex animo (I Petr. v, 3). » Compassionis et misericordiae sic abundabat visceribus, ut cum flentibus fleret, cum infirmantibus aegrotaret, cum scandalizatis ureretur, cum afflictis affligeretur. Nec minus et aliorum prospera sua iudicans, gaudebat cum gaudentibus, erigebatur cum revalentibus, 1495 applaudebat exhilaratis, recreabatur cum refocillatis. Pauperum vero curam habebat praecipuam, quibus saepissime cibos esuriens, potum sitiens ministrabat. Denique suarum negligens, aliorum omnium necessitatibus serviebat, plenus scilicet dulcedine charitatis, non quae sunt, sed quae aliorum quaerens, monachorum, sanctimonialium seu clericorum collegia saepius visitando, evulsis illico si qua inter eos noxia pullulassent, virtutum semina jaciebat, in vitam fructificatura aeternam: nam et censura vigeat justitiae, qua delinquentium culpas feriret, et mansuetudinem indulgentiae praesentabat, qua correctis veniam non negaret. Justitiae invictus amator, munerum vero fervidus exsecrator, a veritatis tramite, nec blandimentis novebat exorbitare, nec minis. In adversis erigebatur constantia, in prosperis humilitate gaudebat. Sed inter haec ecclesiasticae actionis tam fructuosa negotia, etiam contemplationis partes exsequi non cessabat. In ecclesia namque frequenter noctibus totis pervigilans, psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus delectabatur, purasque cum lacrymis offerens Deo preces, commisso sibi populo munimen et pacem caelitus impetrabat: neque enim poterat non exaudiri pro populo, qui et ipsum populum dignum instituerat exaudiri; siquidem assiduo usu exultos, verbisque et exemplis edoctos, ad bonitatis amorem converterat, et velut emollitae jam et formas admittenti materiae, imaginem subditae suae religiositatis impresserat. Nihil ergo erat unde non merito gratiae referrentur auctori, quando et de multa satione fortis agricolae probaretur industria, et de bono proventu agri fertilitatis laudaretur. Nam, juxta sententiam Salomonis, « ubi non sunt boves, praesepe vacuum est: ubi autem multae segetes, ibi manifesta fortitudo boum (Prov. xiv, 4). » Tantis ergo ac talibus virtutum charismatibus plenus, bonum Christi odorem longe lateque diffuderat, et in sui laudem etiam longe positorum mentes excitabat et linguas. Accessit ad vitae meritum etiam miraculorum potentia, ut qui meritorum exemplo nolent adduci, signorum ostentis possent convinci; quorum aliqua referemus, et quibus possint reliqua non negari.

Evocatus Magnobodus episcopus a rege Dagoberto, cum venisset Parisios, captivi, quos reatus sui merito, carcer ponalis ferro vinctos arctabat, cognito quod praeteriret, flebilibus modis a sancto episcopo 1496 auxilium implorabant; quorum ille statim commotus miseria, iter quod ad ecclesiam tendebat, deflexit, ut animum iudicis, ad miserandum reis, quantis posset precibus inclinaret.

Sed cum illius duritiam emollire non posset, ingressus basilicam, ad Dominum se convertit, orans et supplicans, ut quod humana negabat improbitas, divina clementia largiretur. Confestim solutis divinitus nexibus catenarum, fores carceris sponte patuere inclusis; nulloque prohibente egressi, ubi sanctus orabat in ecclesiam confugerunt, et beati viri pedibus advoluti, pro sua liberatione gratias referebant. At ille, quibus a Deo solutionem impetrarat, apud principem quoque integram obtinens missionem, justis correptionibus emendatos, dimisit in pace.

Circa idem fere tempus, cæcus quidam, auditis sancti virtutibus, ut ad eum duceretur rogavit. Cumque ad urbem pervenisset Andegavam, episcopum in ecclesia sacramenta celebrantem invenit; ad quem protinus clamore sublato, lumen amissum sibi restitui intempestivis vocibus flagitabat. Præsul vero nihil ejus importunitate offensus, tranquilla mente mysteriis consummatis, orationem obtulit pro salute rogantis; deinde cum ori ejus (75) infudisset eucharistiam, lumen cæcus diu optatum sine mora recepit, gaudensque et gratias agens repedavit ad sua.

Item presbyter quidam religiosus jugi dyssenteria vexabatur; cumque viscerum discruciaretur injuria, et dolor insanus vires exhausisset patientis, ipsamque jam animæ sedem convelleret, fides tamen afflicti se collegit in vocem, vocalisque ad se famulis, præcepit, quo potuit nisu, ut panem ad episcopum deferentes, ab ipso benedici rogarent, sibi que relatum pro remedio certo porrigerent. Quod cum factum fuisset, sumptis æger eulogiis, statim convaluit, miraculumque in se factum ipse testis idoneus divulgavit.

Alio rursus tempore, cum dioceses circaiens, ad prædium quod dicitur Cartiniacus, accessisset, obviam habuit puerorum ludentium turbam, qui diabolo instigante, petulanter agentes, malignis eum vocibus et cachinnis velut alteram Eliseum, lacerare non cessabant, cum subito, mirum dicto, unus eorum, qui cæteris procacius insistebat, pulverulento turbine sublatus in aerem, per inane terribiliter reptabatur; tandemque inter vespres ab alto collapsus, omnibus fere membris 1497 quassatus et dilaceratus colligitur. Quem parentes miserissimi cum gemitu et lamentatione ad sancti episcopi præsentiam deportantes, ut sui miseretur orabant. At ille eum in atrio ecclesiæ mandat deponi, illosque ad modicum jubet recedere. Post paululum cum redissent, sanum recipiunt, quem desperatum reliquerant.

Nec minus Theudegisilum quemdam languore diutino maceratum, cui nulla prodesse potuerant remedia medicorum, cum ei fuisset oblatus in lecto, orationis virtute sine mora restituit; siveque pedibus

(75) Ex hoc verbo satis probabiliter concludi posset tunc eucharistiam fidelibus sub utraque specie concedi: non enim infunditur in os, nisi quod

A suis domum relatus est, qui manibus allatus fuerat alienis.

A vico, qui dicitur Othomensis, revertens idem vir sanctus, comitantibus discipulorum non paucis, ad fluminis portum, quo iter dirimebatur, accessit. Sed cum portitor non adesset, et navicula opposita parte fluminis teneretur, transmeandi videbatur interclusa facultas; ille vero in orationem more suo procumbens, videntibus cunctis, occulta virtutis potentia ad se traxit navigium: quod cum suo comitatu ingressus, eadem virtute prospero cursu transvectus est.

Mummolus quoque, hoc nomen erat infirmo, ab eodem sancto episcopo virtutis divinæ sumpsit remedium: qui cum multo jam tempore quartanarum febrium lentis ignibus carperetur, et jam pene consumpta sanguinis puritate, melancholica gravitas obsessos artus inclinaret ad mortem, petit a sancto per nuntios, ut sibi quam præstabat omnibus, misericordiam non negaret; qui statim afflicti miseratus angustiam, sacratum oleum nuntiis tradit, quo videlicet ungi præcipit patientem. Quod cum factura fuisset, illico æger sanatus surrexit.

Sed et puella, nomine Baldetrudis, oculorum luce privata, beato viro virtutis materiam dedit. Cujus parentes cum eam sanctis ejus præsentassent aspectibus, et pro ea suppliciter intercedere non cessarent, motus pontifex tam parentum precibus, quam et puellæ miseria, lucem veram Christum, qui omnem hominem in mundum venientem illuminat, flexis in terram pro ea genibus exorabat, cum interim cœpit densa paulatim tenebrarum caligo rarescere, et per tenuem quasi membranam lux ignota diffundi. Tandemque prorsus omni cæcitate discussa, lumen clarissimum puella recepit.

Erat et Domolus quidam, dan: no manus aridæ multis notus, quum a compage viventis corporis, jam emortuam, et præ nervorum dissolutione velut extraneam dependentem, non ad opus, sed ad onus 1498 miser circumferebat: qui cum sancto viro fuisset oblatus, ille oleum benedixit, manumque aridam ex eo perungi præcepit. Factum est, et statim repletis venis, nervisque reparatis, manus revixit, et corpori suo non minus quam altera ad usus necessarios ministravit.

Nec prætermittendum puto quod ipsius Domini Christi videtur representare virtutem, juxta quod ipse dicit: « Qui credit in me, opera quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet (Joun. xiv, 12). » Nam tempore famis, cum ad præfatam episcopum innumerabilis multitudo pauperum confluisset, in eorum refectionem non parvam pecuniæ summam hilaris dator jussit expendi. Qua erogata, omnibusque ad satietatem relectis, dispensatores ipsius duplicatam in loculis pecuniam repererunt: nimirum qui in causa simili multiplicaverat quinque liquidum est; quod vero solidum, immittitur, vel traditur.

panes, delit et solidis incrementum : nam licet materię sint diversę, panis scilicet et argentum, eadem tamen virtus agnoscitur in utrisque. Factum est olim quiddam simile sub Elia, quando lecythus olei et farina hydris non defecit (*III Reg. xvii, 14*) ; in talibus enim Christus heri et hodie ipse, et in sæcula sæculorum (*Hebr. xiii, 8*).

Mulierem quoque paralyticam, omni membrorum officio destitutam, cum beato episcopo fuisset in grabato a fidelibus presentata, Christus per eum reparare dignatus est ; nam postquam genuflexo, preces misericorditer fudit pro misera, apprehensa ejus manu incolumem protinus Christo jubente levavit.

Harum ergo virtutum circumquaque discurrente præconio, undique ad eum, probatę videlicet effluacis medicum, infirmorum greges et debiliūm properabant, maxime quia gratis et absque difficultate, divina singulis beneficia largiretur. Inter quos calamitosus quidam cęcus traheretur, nomine Lodo-
varus, qui scilicet ut traheretur improbitate nimis et clamoris vocibus, a cognatis extorserat : quem sibi presentatum cum aspexisset vir sanctus, misericordia permotus, ut erat omnino compatiens, lacrymas fudit, seque in orationem dedit pro misero. Confestim cęcitate depulsa, mœstam diu faciem lux reddita lætificavit.

Archidiaconum Pictavensis Ecclesię, nomine Agericum, supradictus vir sanctus familiarem habebat, utpote virum bonę simplicitatis, et religionis non fictę : nam postmodum suę merito sanctitatis, præfate Ecclesię dignus præsul levatus est. Is ergo archidiaconus intolerabili dolore dentium vexabatur : quod cum anxie innotuisset episcopo, ille signum crucis dolentibus locis impressit, statimque 1499 omnis dolor sedatus est et extinctus.

Ex prædio Vernantensi dæmoniacus quidam, nomine Nannenus, ad eum ductus est, loris contractus et ferro, ne posset in obvios quosque grassari. Hunc quoque exorcismis et supplicationibus, et precum virtute mirabili, quas solebat alios facilitate, purgavit.

Ex agro, quid dicitur Caprariensis, puella ei allata est dexterę manus officio destituta ; sed et statim oleo sacro inungens, debilitatis incommodo liberavit.

Item sanctimonialis, nomine Procula, egritudine longa decumbens, mortis periculum formidabat ; quę pro suę religionis proposito nota pontifici, ut se visitare dignaretur per nuntios imploravit. Ille ad eam non dedignatus accedere, consueto more Christum rogavit, ut auxilii sui super infirmam virtutem dignaretur ostendere. Quo facto, reddita mox femina sanitati, multis postea vixit annis.

Sed quia ex præcedentibus satis ostensum est sanctum de quo loquimur gratiam habuisse curationum, et adhuc ex sequentibus ostendetur,

A inseramus unum, unde possit probari non omnino illi etiam prophetię spiritum defuisse. Est enim prophetię non de futuris tantum, sed et de præsentibus et præteritis secretis divinitus homini data cognitio.

Eracleus quidam pseudoabbas, incertum quibus aliis ex causis, sed invidię certe et odii facibus in episcopum vehementer accensus, cum manifeste eum impugnare neq̄ auderet, nec posset, occultis insidiis parat extinguere. Itaque impietatis suę conscios viros subornat, venenum tradit ; et sub specie obsequii missos, qualiter ei bibendum porrigerent docet. Qui cum ad eum venissent, eorum fraudes vir sanctus, Spiritu revelante, cognovit ; interim dies simulans, accurate eos recipi jussit : refectos vero ad se vocans, de concepta iniquitate secreto coarguit ; et ne quid ultra tale præsumerent, sub pœnarum interminatione commonuit : deinde singulos exosculatus, in pace dimisit. At illi confusione operii redeuntes, patrono suorem ex ordine nar-
verunt. Mox ille de prodito scelere, conscientia turbante, perterritus, fugam inivit, et apud beati Martini monasterium Turonis, aliquando tempore latebras fovit ; verum et ibi fama vulgante, cum frequenter proditor audiret, seque cum juramento excusans, homicidii facinus perjurio cumularet, ultio eum divina diu vivere non permisit ; siquidem ulcere insanabili percussus in fronte, ob scelus 1500 occultum manifesta pœna damnatus, exiit.

Nunc ad sanitatum munera revertamur. Sed quia non parvo sunt numero, brevibus quasi capitulis acervatim plurima comprehendam, ne singulorum per ordinem explicata narratio tedium pariat auditori.

Puellam Romanę nobilitatis, quam ad eum per difficile et longum iter opinio virtutum ejus traxerat, infusione sacrę eucharistię (76), febribus, quibus triennio continuo vexabatur, liberavit, gaudentemque cum suo comitatu Romam remisit.

Abbatem Sancti Albini, Niulfum nomine, cyagrigo [chiagrigo, vel chirurgo] morbo conflictum, datis ei pro antidoto eulogiis, statim sanavit.

Virum quemdam, Dodonem dictum, diuturnę scabie jam confectum, et immundis ulceribus effluentem, curavit, missis ei nihilominus eulogiis.

Romulum quoque archidiaconum, sexennio toto infirmitate detentum, per orationem ejus et virtutem, ac corporis Domini communionem, erexit.

Cæcam mulierem in pago Burdegalensi per abbatem quemdam Martinum, absens ipso, et longe positus, illuminavit : siquidem ille abbas pro causa monasterii sui illuc proficiscens, a sancto episcopo, sicut et multi alii facere consueverant, eulogias pro benedictione acceptas seonm detulerat, velut itineris comæatum. Quas cum hospites suę fideliter porrexisset, intercedens tantum unius noctis spatio, illa visum cum aurora suscepit.

(76) Nota iterum verbum infusionis sacrę eucharistię, quo supra usus est.

Gaudomellæ cuidam, sic vocabatur puella ex prædio Cabariacensi, caliginem quæ oculos ejus diu obtexerat crucis impressione deterisit.

Aliam nomine Godolenam, unctione olei sacri cum signo vivificæ crucis simili cæcitatæ nocte absolvit.

Nec minus et aliam, quæ dicebatur Goda, eodem medicamine, eadem incommoditate liberavit.

Sub ipso fere tempore adolescentem a dæmone obsessum orationis instantia purgavit, cum eum per totam Quadragesimam secum detinisset.

Ex villa, quæ Corniliacus appellatur, puellam sibi allatam, quæ jam quindecimum agens annum, nullo adhuc manuum pedumve fugebatur officio, oleo sacro artus perunctam protinus restauravit.

Simili debilitate damnatum a nativitate puerum, ex villa quam Jerziacum vocant, per merita præsulis Dominus reparavit: quem parentes sui divina revelatione 1501 admoniti, ad eum detulerunt, et ut clericalibus dicaretur officis jam sanatus, non difficulter obtinuerunt.

Mulier, nomine Læta, a rentis dexteræ infortunio tristis erat. Hanc quoque, invocato Dei nomine, per crucis virtutem restauravit.

Cæco cuidam Carrulfo, oratione super eum fusa, signoque crucis oculis ejus impresso, visum restituit.

Mulierem Marciam, diutinis febribus maceratam, sacri olei unctione sanavit.

Geminas sorores, non humili ortas loco, quarum una Necteria, Theodechildis altera vocabatur, utraque cæcitate damnatas, orationis ope et olei medicamine uno momento ambas pariter lumine reddito clarificavit.

His cursim breviterque perstrictis, pauca quæ restant, suo loco, paulo latius exsequemur, ne et narrandi uniformitas, quod de prolongatione superioris timebamus, tædium gignat.

Sed inter hæc tam crebra tamque magnifica miraculorum insignia, vir sanctus tanta se mentis ac corporis humilitate subtravit, ut nullus ad se vanitatis, nullus extollentiæ pateret ingressus. Cilicio tectus assidue, inedia vigiliisque confectus, pauperis et dolentis habitum præfererat: quippe qui alienas in se per compassionem culpas transferens atque miserias, seipsum Domino pro creditis sibi ovibus opponebat; nec habens hic manentem civitatem, totis viribus inquirebat futuram. Nihil etenim se judicans promovisse, dum restaret aliquid promovendum, novis semper studebat augmentis, quæ quidem retro sunt, sicut dicit Apostolus, obliviscens, et in anteriora semetipsum extendens (*Philipp. III, 13*). In dies ergo proficiens, et seipso robustior, largitatis, humilitatis, abstinentiæ et pietatis suæ consuetudinem, reparatis semper nisibus ampliabat, memor scilicet Scripturæ, dicentis: « Cum consummaverit homo, tunc incipit (*Eccl. XVIII, 6*). » Sed cum nullum tempus sibi a sancto labore remitteret, maxime tamen sacræ Quadrage-

simæ dies in arctissima transiebat abstinentia: nempe solus hoc tempore clausus manebat in cellula, orationibus insistens et lacrymis, et quotidie cum oblatione sacramentorum, seipsum hostiam viventem Christo sacrificans. Nihil vero his diebus præter panem gustans et aquam, hæc quoque ipsa ad mensuram parvi ponderis capiebat: magis enim fletu quam cibo reficiebatur aut potu: cui scilicet ad Deum fontem vivam sitiens, lacrymæ suæ erant panes die ac nocte; quique, sicut in alio legitur psalmo, ne Deus super orationem ejus irasceretur, quam fundebat pro populo, 1502, cibabat se pane lacrymarum, et potum sibi dabat in lacrymis in mensura (*Psal. LXXVI, 6*).

Nec satis ducens bona tantum dum viveret operari, etiam ultra vitam, sanctitatis suæ meritum cogitavit extendere. Considerata itaque loci et temporis opportunitate, in suburbio civitatis suæ cepit ædificare monasterium exemplo videlicet beatissimi magistri et prædecessoris sui Lloinil, in quo servos Dei quanto posset numero congregaret, quibus et necessaria ex possessionibus suis et redditibus, ad sufficientiam delegaret; ut quia vitam hujus corporis contra naturæ legem perpetuare non poterat, successionem religionis suæ post se victuram, in multa sæcula prorogaret. Ædificatam igitur in honore sancti Saturnini martyris, primi scilicet Tolosane urbis episcopi, sicut optavit, ecclesiam, non solum rebus et possessionibus copiose ditavit, sed etiam summo decore et elegantia intrinsecus et extrinsecus studuit exornare, ut apte posset dicere cum Propheta: « Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ (*Psal. XXV, 8*). » Siquidem interiores domus parietes alternantibus spatiis musivo vestivit et gypso, iconas habentibus depectas et flores. Cujus mirifici operis, etiam post tot ruinas, usque ad nostra tempora vestigia permanent in ea, ex quibus manifeste colligi possit quanta novi operis venustas exstitit, cujus appareat vetustas ipsa mirabilis. At vero extrinsecus ædem totam porticibus vallavit atque columnis, domosque construxit usibus fratrum communem vitam degentium necessarias, sed et alias suscipiendi aptas hospitibus, infirmisque recreandis idoneas, ut nihil probaretur ad bonæ actionis ministerium defuisse. Omnibus igitur ad votum perfectis, eundem locum familiariter cepit incolere, utpote secretis orationibus magis idoneum, exercendisque circa pauperes misericordiæ operibus aptiorem: nam et ibidem vitam finire, et corpore pausare post obitum, sicut et contigit, destinaverat. Ergo et ibi eum divina gratia clarificare non destitit, ut vitam, et mortem sancti sui miraculis ostenderet pretiosam.

Denique Theudebaldus quidam, præpotens et illustris persona, ad eum supplex accessit, obsecrans cum fletu et gemitu, ut filie suæ quæ a dæmone vexabatur, præstare dignaretur remedium. Nam et multi, inquit, hoc ipsum frustra experti sunt; tibi

vero, ex virtute omnipotentis Dei, cuius es servus. **A** nihil esse confido impossibile. Cui sanctus imperfectionem suam excusans, a sanctoribus et perfectioribus hoc magis postulandum respondit. Sed **1502** cum ille et qui aderant perseverarent in precibus, victus mitissimus præsul, sanctorum reliquias cervicibus puellæ imposuit, eique ex oleo sacro signum sanctæ crucis impressit. Quod cum factum fuisset, statim fugato dæmone, mentem sanam puella recepit, et cum parentibus suis gratias et laudes agentibus, incolumis et lætabunda recessit.

Nec multo post tempore, mulier, nomine Prisca, ei a fidelibus curanda offertur. Hæc ab ipso matris utero cæcitate damnata, per annos triginta sub una nocte vitam mortis similem deducebat. Cujus miseriæ compatiens beatus episcopus, invocato super eam Dei nomine, luminum loca crucis virtute signavit; nec aliqua interveniente mora, clausas diu fores lux ingressa, omnibus qui aderant stupentibus, reseravit. Quantas tunc laudes populus Domino decantaverit, quantis extulerit præconiis sacerdotem, lectori relinquimus æstimandum; siquidem quod quondam fuerat, ipso Christo faciente, mirabile, hoc nunc per Christum operante discipulo, multo mirabilius videbatur.

Sub eodem fere tempore, Vinciemalus adolescens tantæ infirmitatis vinciebatur malo, ut præ diuturna molestia, etiam lumine fraudaretur. Qui cum fuisset antistiti præsentatus, et ille pupillis sacrum oleum infudisset, eodem momento visum sanitatemque duplici virtute recepit. Tertium quoque in eodem ipso parvo temporis intervallo est ostensum miraculum, quod duo præcedentia confirmaret: nam dum de reddita sibi sanitate gratulabundus per murum incautius deambuiaret, lapsus in præceps, toto contritus corpore putabatur; sed ita illæsus apparuit ac si minime corruisset.

Alius quoque infirmus ei oblatus est, qui per quinquennium continua ægritudine decumbebat; sed et hunc orationis virtute oleique sacri unctione sanatum, gaudentem remisit ad propria.

Nec minus et Gidoaldus quidam, diutina totius corporis, et maxime capitis infirmitate confectus, obstructis audiendi meatibus penitus obscurauerat: qui beati præsulis aspectibus præsentatus, flebili eum voce ut sui miseretur orabat. At ille digitos **D** auribus ejus immittens, etiam olei sacri liquorem non absque sanctis precibus inatillavit: quo facto, erumpente sanie cum fetore, auditum surdus, idemque æger sanitatem recepit.

Mulier etiam, non omnino ignota, ex villa quæ dicitur Volosesis, molestissima prorsus capitis vertigine laborabat: nam quoties se ad aliquid domestici operis exercendum inclinare tentasset, subita **1504** oculi ejus percussione cæcati, tenebris intervenientibus, explicandi efficaciam præcidebant. Quæ cum sancto præsuli infelicitatis suæ tenorem, non sine questu et lacrymis, exposuisset, postquam

ille super eam more solito nomen Domini invocavit, nullam femina ulterius antiquæ infirmitatis sensit molestiam.

Item mulier, nomine Alloicia, ex possessione quæ Verchiacensis appellatur, ut sibi lumen repararet amissum, junctis secum multorum precibus, sanctum præsulem implorabat: quorum ille preces non respuens, orationem fudit pro cæca; deinde oculos ejus olei sanctificatione perungens, visum ei sine ulla cunctatione restituit.

Alliam, nomine Caricundim, ex villa suburbana, quæ dicitur Confluentum, cæcam, mutam, paralyticam: et prorsus omni spe recuperandæ aliquando sanitatis fraudatam, idem vir sanctus in integram membrorum sensuque firmitatem mirabili virtute restituit; siquidem per triduum pro ea orationi insistens, tanquam si dies singulos singulis infirmitatibus deputaret, tandem illam efficaci prece ab omni prorsus debilitate absolvit.

Aulicus quidam, sicut fieri solet, militari fasto ecclesiastica jura despiciens, jumentum quod fratrum usibus serviebat, audacter avertit, suisque potius, ut putabat, mancipavit obsequiis. Quod cum beato pontifici nuntiatum fuisset, rem interim maluit dissimulare, quam litis subire molestiam. Sed mox sequenti nocte, cum se præsumptor ille quieti dedisset, adest ei per visum præsul, ignium globis ac flammarum coruscatione terribilis, minas intente non leves, quod rem ecclesiasticam sacrilegus usurpasset. Quibus ille terroribus excitatus, immensis clamoribus famulos vocat, dicit se a præsule obmissum facinus cruciari, irent velocius, et ad se eum precibus multis venire rogarent. Quod cum fuisset impletum, neque enim dedignatus est ad supplicem benignus accedere, orare cœpit miser episcopum ut sibi peccati hujus pœnam remitteret, cujus pœnitentiam ostendebat: nam et raptum animal se statim cum satisfactione redditurum, et de cætero famulos Christi et res ecclesiasticas honoraturum firmissime promittebat. Ita vir sanctus, data super eum oratione, eadem hora et jumentum recepit, et correcto reddidit sospitatem.

In hac ergo gratia sanctitatis, virtutumque potentia perseverans beatus Magnobodus, ad senium usque pervenerat, et spirituales seminum fructus, quæ sparserat in populo sibi commisso, ubertim **1505** provenisse gaudebat. Victor certaminis jam spectabatur in stadio, et repositam sibi a summo imperatore et justo iudice coronam justitiæ expectabat securus. Interea, pulsante Domino corporis ostium, per infirmitatis molestiam, intellexit pervigil et diligentissimus servus diem sui exitus imminere. Paratus itaque confestim aperire pulsanti, convocatis filiis et fratribus, quos in Christiana religione nutrierat, resolutionis suæ tempus optabile denuntiat advenisse. Tum vero mœror immensus occupat universos, et pro sua destitutione gementium lacrymabilis vox omnium resonabat. At ille multis eos consolatus sermonibus, omnes et singulos cohorta-

batur, ut in fide Christi et bonis perseverarent operibus, et maxime pacis inter se fœdera conservarent, « quoniam in sancta, inquit, dilectione totius divinæ legis, et omnium mandatorum summa consistit: nam et Dominus ac magister omnium Christus, hoc ultimum maximumque discipulis dedit mandatum, ex quo velut speciali caractere, suos ab extraneis discernendos ac dignoscendos esse prædixit. Idcirco et ego, filioli, ultimum vobis vale dicturus, charitatem super omnia cordibus vestris insinuo atque commendo, in qua, et per quam usque in finem sobrie et juste, et pie viventes, a summo pastore et justo iudice mereamini ab infelicibus hædis secerni, et inter beatissimos agnos ad dexteram gloriæ collocari. » Hæc et his similia cum dixisset, elevatis ad Deum manibus, oculisque ac mente cælum suspiciens, inter sacræ orationis verba interque mœrentium discipulorum manus, spiritum Deo reddidit, septimo decimo Kalendarum Novembris die, sepultusque honorifice, cum multa undique concurrentium populorum frequentia, in sacello apud basilicam Sancti martyris Saturnini, quam, ut superius dictum est, ipse construxerat, inter clarissimos confessores resurrecturus ad gloriam. Cujus exequias evidenti miraculo Dominus illustravit, ut omnibus fieret manifestum nunc eum maxime vivere post decessum, multoque 1506 nunc magis posse apud Deum petentium necessitatibus subvenire, cum jam nullo, liber spiritus, possit carnis onere præpediri. Nam dum funus venerabile duceretur, captivi duo, quorum alter Gualdo, alter Bodecarius vocabatur, qui longo jam carceris squalore afflicti, in compedibus et catenis per publicum sub custodia, corro-

(77) Ad hujus clausulæ rectionem mirati sumus ipsam eandem esse, et totidem verbis enuntiatam quam legeramus et notaveramus ad finem Vitæ S. Licinii immediate præcedentem. Nihil autem aliud ad id nobis occurrit, nisi quod vir admodum religiosus ac pius nullam videtur occasionem prætermisisse conciliandorum sibi, sive vivo, sive defuncto, Ecclesiæ suffragiorum, quibus suos ad sanctorum gloriam pios labores bene compensatos existimavit, si spiritualis operis mercedem sibi pro æterna salute profuturam consequeretur. Quam ergo a canonicis Sancti Mauricii Andegavensis pro Vita S. Licinii, dum esset Andegavensis archidiaconus,

A gandæ stirpis gratia, trahebantur, ubi ad sancti feretrum accesserunt, laxatis sponte nexibus calenarum, expediti subito apparuere custodibus. Quod ubi ad procerum civitatis pervenit notitiam, communi omnium decreto libertate donati, ob honorem Dei et sanctissimi confessoris memoriam, in pagum Cenomanicum, unde capti fuerant, reversi sunt, ostensam circa se Domini misericordiam per sancti confessoris merita non tacentes. Exinde ergo circa sancti sepulcrum honor et digna crevit reverentia, ita ut ex longinquis etiam partibus venientes, pro diversis necessitatibus suorum quisque desideriorum reportent effectum, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

B (77) Ego Marbodius Rhedonensis episcopus, Vitam beati Magnobodi episcopi descripsi, rogatu cononiorum ejusdem Ecclesiæ; unde ipsi mihi pro laboris mei mercede promiserunt et dederunt partem, et communionem orationum et benefactorum quæcunque in ecclesia ista fiunt omni tempore et singulis diebus, dum vixero, unam Collectam in missa matutinali, « Deus qui justificas impium. » Post obitum vero meum, totum officium quod fit pro uno canonicorum in orationibus et missis, et per singulos annos commemorationem anniversarii mei facere, sicut unius cononici. Insuper omnibus et singulis diebus, præter festos dies, usque ad finem sæculi, cantare post Primam, dum vadent in capitulum. « De profundis, » cum capite, « Requiem æternam, » et collectam, « Absolve, Domine. » Hujus conventionis inter me et canonicos sit dominus meus sanctus Magnobodus mediator et testis, et sponsor. Amen.

C sibi conciliaverat, hanc a canonicis collegiatæ S. Magnobodi, dum esset Redonensis episcopus, totidem verbis, et sub iisdem conditionibus, sibi eodem pietatis consilio comparasse hac ipsa clausula gloriatus est. Quam firmam autem fidem in hac S. Magnobodi Vita a pio lectore videatur exigere Marbodius, patet ex summa ejus diligentia, qua personarum etiam popularium nomina, in quarum gratia tot et tanta per sanctum Magnobodum Deus operatus est miracula, exactissime referre curavit, sicut et locorum singularium, licet minus notorum, vocabula, ubi contigerunt.